

DE  
INDURATIONE UTERI  
SCIRRHOSA.

---

DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICA,

QUAM

CONSENSU ATQUE AUCTORITATE AMPLISSIMI  
MEDICORUM ORDINIS

IN

UNIVERSITATE CAESAREA LITERARUM  
DORPATENSI

PRO GRADU

DOCTORIS MEDICINAE

LEGITIME OBTINENDO

LOCO CONSUETO PALAM DEFENDET

AUCTOR

*GUILLIELMUS GLAESER,*


CURONUS:

---

DORPATI LIVONORUM,

TYPIS J. C. SCHÜNMANNI, TYPOGRAPHI ACADEMICI.

MDCCCXXVIII.



Imprimatur,  
ea tamen conditione, ut simulac typis fuerit excusa haec  
dissertatio, septem exemplaria collegio, cui librorum cen-  
sura est mandata, tradantur.

Dorpati Livonorum d. xix. Mens. Sept. MDCCCXXVIII.

Dr. Sahmen,  
Decanus.

D 16699

VIRO

SUMME REVERENDO ATQUE DOCTISSIMO,

CAROLO RHODE,

CONSILIARIO ECCLSIASTICO,

HASCE STUDIORUM PRIMITIAS,

INSIGNIUM PLURIMORUMQUE BENEFICIORUM  
MEMORIAM RECOLENS

PIA GRATAQUE MENTE OFFERT

AUCTOR.

Morbi in universum descriptio.

**S**cirrhosam uteri indurationem appellant vulgo tumorem illum, doloris initio expertem, postea vero dolentem, qui, ab uteri collo orificioque exordiens, plus minusve ceteras quoque uteri partes aggreditur, atque in cancrum transire amat. Ceterum scirrhusa haec induratio, cum neque sedes eius neque natura certa praebeat signa, accurate definiri nequit. Videmus nimirum saepenumero indurationem in aliis uteri partibus, in fundo atque lateribus, exorientem, id, quod tum observatum esse dicunt, cum supra indurationem totus uterus, vel partes eius intumuerint\*);

---

\*) Wenzel über die Krankheit des Uterus pag. 79. 84. cet.

quodque liquet ex huius organi functionibus, per quas tum crebris sanguinis congestionibus, veluti in menstruatione graviditateque; tum mechanicis malis, pressui imprimis, nominatim in partu, expositum est. Quod attinet ad indolem partis affectae, inde, quod indurata est, dolorisque expers, minime cognoscitur maligna illa induratio, cum sint etiam alii tumores, dolore vacui, qui, licet minus indurati sint, in ulcus apertum nihilominus mutantur; cumque induratio diu interdum perduret, neque in ulcus carcinomatosum transeat, idque eo magis, quo minus, corporis feminini aetate iuvenili causis mechanicis exorta, menstruationem impedit, imo, absque periculo adiuvat\*). Induratio raro se uno continet loco, ita, ut non alias quoque uteri partes pervadat; plerumque textum eius tantummodo spissatum est, in quo partes induratae, transitione, quae vix cerni potest, sensibiles redduntur. Induratio simul atque in ulcus apertum mutata est, morbi character in magnis doloribus cernitur, et paulo post male olentis humoris fluxus, menses turbati, maximi dolores, viresque aegrotantis languentes dubitare de morbi indole non permittunt.

Eadem, quae in utero indurato reperimus vitia, in organis quoque ad eum pertinentibus, vel consen-

\*) ibidem.

tientibus ei; aut tantummodo vicinis apparent. Huc pertinent ovaria, tubae Fallopianae, mammae, glandulae inguinales, vesica intestinumque rectum. Ceterum dubitari potest, utrum haec vitia ex generalibus, quibus uterus induretur, causis, eodemque, quo induratio, tempore, an serius, organo illo turbato, aut prorsus corrupto existant. Wenzelius glandulas utero vicinas semper post indurationem eius in ulcus apertum mutatas, indurari contendit\*); alias simul cum utero ex iisdemque causis corripitur morbo; ubique autem utero indurato partium eius vicinarumque accedere aegritudinem, quae si inflammantur irritanturque, etiam si ulcere aperto nondum affligantur, periculum vitae afferre possint. Tubae Fallopianae, ovaria, intestinum rectum, vesicaque in iis numeranda sunt partibus, quae, utero indurato, omnium saepissime simul morbo premuntur. Quorum vitia in hoc cernuntur: quod tubae Fallopianae indurantur, augentur, aut ad ostium anticum abnorme inflantur; aut, quod canalis ostium intumescit, indurescit et clauditur, fimbriaeque in pustulas sufflantur. Ovariorum utrumque modo, modo alterum altero minus, saepius alterum tantummodo inflatur, indurescit au-

\*) Ueber Induration und das Geschwür in indurirten Theilen. Pag. 101.

geturque, aut sero, plus minusve valido, impletur. Intestinum rectum, vesicamque, uterus si sit scirrhusus, etiam morbo affici, functiones impeditae eorum docent. Intestinum rectum, quod saepe a Wenzelio observatum est, qua in pelvis cavum intrat, ad anum usque, non induratum solum offenditur, sed etiam per partes in pus versum; Vesica eodem tempore, praecipue ad parietem posteriorem, redditur spissa, textumque eius impletur lymphæ effusa, aut tegitur materia calci simili; quin ipsi ureteres interdum corrumpi dicuntur.

#### Morbi diagnosis.

Quo incertius est, ut monent omnes, qui observarunt, num uteri induratio, si longum tempus duraverit, aut transierit in ulcus apertum, aut mox transitura sit, sanari possit; eo magis ad varios eius gradus, horumque symptomata, ne curandi tempus dimitatur, neve post, ubi ars lenire tantummodo possit, cruciatus remediis asperis augeatur, animum intendere debemus. Tria igitur, quae morbus percurrat, esse stadia, cum Wenzelio\*) statuo, quorum primo nascitur induratio; secundo excultus est morbus; tertio prope instat ulcus ipseque cancer. Quodque stadium cognoscitur, meo iudicio 1) incommodis, quae senit aegrota; 2) exploratione intus instituta;

\*) l. c. p. 108.

3) extrinsecus instituta. Wenzelius, loco laudato, ipse quidem „Es giebt,“ inquit „nur wenige Zufälle, die in ihrer ganzen Eigenthümlichkeit, ausschließend den ersten Zeitraum, fast gar keine, die den zweiten, und nur schreckbare, die den dritten Zeitraum der Krankheit bezeichnen,“ attamen mala post afferenda, quae, morbi causae remotae, vim in uterum exercent, symptomataque, quamvis pauca sunt, primis stadiis, saltem ad excitandam morbi suspicionem sufficient; omninoque in hac re esse anxium, quam contemnere symptomata, quamvis parvi sint momenti, praestabit.

Primo morbi stadio aegrota pelvis profundae levem, quem indicare nescit, sentit dolorem, qui non perdurat, sed in longum tempus saepe remittit, renovaturque imprimis coitu, cuius appetitus, etiamsi ante fuerit nimius, sublatus est; mensibus; minctione interdum, si vesicam ceperit sensibilitas, eoque mingendi excitarit libidinem, pauca fluente urina, sive stranguriam effecerit; porro dolor ille renovatur alvo, affecto simul intestino recto, ubi perinde alvi excretionis libido, saepe vana, intervenit atque obstructio, maxima afferens incommoda, saepe etiam diarrhoea animadvertitur; denique dolor ille refricatur abdomine presso; quin etiam mutata coeli temperie\*).

\*) Carus Lehrbuch der Gynäkologie. Thl. I. pag. 340.

Scirrhomata autem, aliis malis non intercedentibus, si solo utero continentur, dolores, cum nervi, lymphæ in parenchyma eorum effusa, quo minus fungantur munere, impediuntur, diu aberunt. Hinc pars indurata, si tangitur, sæpe prorsus non dolebit. Perseverantior ille dolor est, qui efficit, ut in vagina grave aliquid descendere videatur, quique similis est illi, qui diversas partus periodos abortumque comitatur. Menstrua ad morbi stadium cognoscendum minus valent, cum iam, ubi morbus ceperit initium, et tempore et sanguinis fluentis copia indoleque a norma sua sæpe recedant. Muci nondum olentis, copia soliditateque varii, fluxus hoc stadio sæpe in vices modo memorati menstruorum status abnormis succedit. Quin etiam sanguinis fluxus sæpe conspiciuntur. Ante mucum in vagina secretionem, aut simul cum ea maximi, rheumaticis similes, ad lumbos spinamque apparent dolores, qui, secretionem illam, cuius fecimus mentionem, suppressa, in acerbos mutantur punitiones in utero, quique, si rursus apparuit, minuitur, aut prorsus remittunt. Qui dolores aegrotam sæpe cogunt, ut prona incedat, brachiaque lateribus fulciat, si ovaria aut tubae Falloppianae simul morbo affectae sunt. Huc non raro accedit, ut alterum aut utrumque femur, quo aegrotis magna affertur incedendi difficultas, emoriatur. Huius stadii

initio, si concepit femina, nulla, quae possit cerni, causa antecessa, abortus plerumque existit.

Exploratio extrinsecus instituta indicat, ut doceant multi, qui observarunt, partes mammarum\*) glandularumque inguinalium induratas; pudenda externa magis minusve intumuerunt; abdomen interdum iam nunc inflatum est; aegrotam conqueritur plenitatem. Uterus supra ossa pubis durum aliquid interdum apparet, quod raro tantum, uteri substantia spissata, indurationeque in fundo eius formata, ubi nulli in vaginae fornice sentiuntur dolores neque duritas, accidit.

Intus si scrutamur, praeter modo memoratam mucum secretionem, vaginae temperationem hoc stadio minutam, raro auctam reperimus; in uteri orificio autem acerbus plerumque, raro non dolens, cernitur tumor, asper durusque, qui modo totum, modo partes occupavit, quique, si induratio collum quoque uteri obtinet, gradatim mitigatur. Orificium in aegrotis, quae pepererunt, plerumque patefactum est, saltem dilatari potest, in iis autem, quae nondum, magis clausum.

---

\*) Secundum Jørgium hoc in iis fieri solet indurationibus, quae ad transitum in carcinoma proclives sunt; nominat illas indurationes malignas.

Secundo morbi stadio animadvertuntur symptomata, parum insignia; consuetudo enim molestias, quarum antea fecimus mentionem, reddit tolerabiles; quamvis, praesertim ubi scirrhus totius uteri substantiae spissatio accesserit, uterique fundus reflexus, in os sacrum incubuerit eoque magnos, qui in ea regione sunt, nervos premit, dolor apertius sentiatur. Qui morbi status, si partes aegrae non irritantur, diutissime perdurare potest, consuetudoque malum, etsi non efficiat ut prorsus non sentiatur, adeo tamen lenit, ut auxilium, quod hoc tempore tantummodo ferri possit, haud facile petatur. Solus auctus sensus, quasi uterus in vaginam descendat, hoc morbi stadium interdum accuratius designat.

Extrinsecus si exploramus, nil reperietur diversum ab iis, quae cernuntur stadio primo.

Exploratione intus instituta, uterus, cum saepe, ubi induruerit, omnino auctus etiam est, profundius descendisse in vaginam aut reflexus deprehenditur; portio vaginalis autem in parte superiore erit atque anteriore.

Tertii stadii symptomata paene omnem curandi spem eripiunt. — Partibus duris ad inflammandum satis irritatis, molestiae valde auferuntur. Dolores pelvis interioris ingravescent, urunt, punguntque; quodsi brevi ante quam menstruat femina, accidit, interdum statim, ubi exstiterunt, diminuuntur; ef-

luit liquor ex albo flavus fluidusque, serosus aut lymphaticus pessimeque olens, cuius ortus indicari nequit; malus odor tamen abesse quoque posse dicitur et nihilominus indurationem in ulcus transire. Liquoris effluentis plerumque magna est copia, comitanturque eum dolores urentes pungentesque. Haemorrhagiae deinde, certum tempus minime servantes, conspiciuntur, et maximum metum saepe iniiciunt; interdum maior minorve sanguinis coagulati particula inter menstruationis molimina exit, quo facto dolores paulo minuuntur. Supra memorati dolores, qui ad os sacrum et os ilium sentiuntur, in femora proserpunt eoque vehementiae procedunt, ut aegrotae pedibus se sustinere nequeant atque in lecto continere se debeant, quin etiam unum alterumque femor saepe paralysi omnino corripitur. Molestiae omnis generis in reddenda urina morbum hoc tempore comitantur. Malum, huic morbo consentiens, in organis, ad nutriendum corpus destinatis, primo cernitur; praecipue stomachus et iecur primo afficiuntur, id quod deletus edendi appetitus, nausea et vomitus, venti in abdomine accumulati, ructus acidus, aphtaeque, ex aciditate ventriculi ortae, atrophia totius corporis, maxime femorum, cutis color cachecticus flavusque, febris lenta satis confirmant. Effluxus ichoris, colore soliditateque varii, partes, ad quas venit, corio priyat, doloresque excitat, saepe uteri

excrecentiarum fungosarum particulae prodeunt. Molestiae in respirando et tussis libido raro hoc ultimo morbi stadio absunt. Insomnium succorumque iactura perpetua inter deliria, modo impetiosa, modo tranquilla, vel inter convulsiones mortem tandem afferunt. Coeundi appetitus, hoc tempore maior saepe, quam cum bona frueretur corpus valetudine, commemorandus est \*).

Extrinsecus si inquirimus, abdomen in modum oedematis intumuisse, et, si gravius prematur, supra arcum pubis dolore cernemus. Crebro in ani orificio nodi haemorrhoidales deprehenduntur, quibus semper molestiae haemorrhoidibus propriae, saepe gravissimae, antecedunt; omninoque in integumentis abdominis, in regione sacrali, cruribus vaginaque varices reperiuntur. Partes genitales externae in modum oedematis intumuerunt.

Si intus inquiritur, aegrotam dolores conqueritur, sin minus, quod raro fit, postquam inquisitum fuerit, apparebunt. Vagina hoc tempore mollis et laxa est, obducta mucosae olenti consitaque ulceribus, quae ad vias urinales usque interdum proserpunt; portio vaginalis sensibilis est, tumida et tuberosa duraque, paulo post apparet tanquam erosa; quin

\*) Wenzel l. c. p. 115.

saepe etiam prorsus evanuit. Porrecto in uteri orificium digito, multae ibi reperiuntur excrecentiae asperae, fungosae et sanguine facile madentes, quae, tactae, eo maiores excitant dolores, quo minus eae partes, quas obtinent, induratae fuerunt. Per vaginae cavum et interdum apertius per intestinum rectum, si digito perumpimus, uterus durus tumidusque deprehenditur.

#### A e t i o l o g i a.

Diversissimae sunt eorum, qui hunc morbum observarunt, sententiae de natura indurationis scirrhosae et carcinomatis. Multi contendunt indurationem oriri inflammatione chronica atque exsudatione lymphae coagulabilis in uteri parenchyma. Secundum Carum \*) morbi natura est morbosa substantiae organicae spissatio, partim inflammatione antegressa atque exsudatione hanc secuta, partim metamorphosi morbosa sine inflammatione, degeneratione, partim pressu perpetuo et mechanica substantiae spissatione oriunda. Wenzelius \*\*) de indurationis scirrhosae exitu dixit: „Geht der Ausschwitzung der gerinnbaren

\*) Lehrbuch der Gynäkologie. 1 Thl. S. 345.

\*\*) Ueber Induration und das Geschwür in indurirten Theilen p. 19.

Lympe ein höherer Grad der Reizung voraus, geschieht sie schnell in das Gewebe der Theile, und wird der Theil im Verhältniß zu seinem Umfange von gerinnbarer Lympe überfüllt, so geschieht in dem Innersten desselben eine Veränderung durch die plötzliche Ausdehnung seines Gewebes, indem der Theil so mit Flüssigkeit überfüllt ist, daß er dem Druck des Fingers widersteht, und wir nennen dann den Theil indurirt.“ *Ulcus carcinomatosum esse putat inflammationem partis induratae, quae in suppurationem transierit, neque inflammationem glandulis vel organis glandulosis propriam, cuius malignitas non singulari canceri acritudini, sed morbosae conditioni partis induratae, quae ex natura sua, quoniam ipsi desit organum verae suppurationis* \*), tela cellulosa haud mutata, ichorem illum seceruat, adscribenda sit. Hanc ichoris excretionem oriri sufficientibus partis induratae irritationibus antegressis, quae inflammationem gignant, sine qua induratio non mutata per totam vitam consistere possit. De Sieboldius \*\*) quoque propriam morbi causam esse putat irritationem inflammatoriam partis

\*) Wenzel über die Krankheiten des Uterus. P. 121.

\*\*) Handbuch zur Erkenntniß und Heilung der Frauenzimmerkrankheiten. T. 1 p. 649.

alicuius, vel morbose auctam sanguinis congestionem, qua effluxus lymphae coagulabilis et maxime variabilis in uteri parenchyma efficiatur. Vera esse videtur sententia, in formatione indurationum scirrhosarum earumque transitu in ulcera cancrosa aperta dispositionem quandam corpori inesse oportere \*) etsi morbo certa quaedam acritudo non sit subiicienda. Organum, in quo haec morbosa corporis dispositio appareat, habendam esse puto morbosam uteri partis indurationem, irritatione magis minusve vehementi, aut aucta sanguinis congestionem et effluxu lymphae coagulabilis effectam, quam indurationem vocamus; atque hac ratione induratio scirrhosa et ulcus carcinomatosum iure appellari videtur morbus universalis. Haec sententia partim experientia, non quamvis indurationem, etsi saepius irritetur, in cancrum transire, quod mihi quoque semel observandi potestas fuit, et interdum plures eiusdem familiae personas sine causa conspicua eo affici, cuius rei Meisnerus \*\*) exemplum manifestum narrat; partim dictis plurium eorum, qui

\*) Meisner, was hat das 19te Jahrhundert zur Erkenntniß und Heilung der Frauenzimmerkrankheiten gethan etc.

\*\*) L. modo c.

hunc morbum observarunt, probari videtur. Frankius \*) et Hoffmannus \*\*), verbi causa, cancrum dispositione hereditaria oriri credunt. — Patrix arbitratur, carcinoma uteri coniunctum esse cum singularibus constitutionis proprietatibus, atque experientia demonstratum, eas mutationes in structura organica, quae aliquem morbum formandum adiuvent, etiam generatione propagari; ergo carcinoma quoque hereditarium esse posse. Vitiis sedes ex eius sententia est systema nervorum, et quidem ita, ut carcinoma plerumque ab extremis eius partibus incipiat, atque inde usque ad organum centrale propagetur. \*\*\*) Observationes eius, sectionibus cadaverum factae, hanc sententiam hactenus saltem probare videntur, quatenus mutationes eodem tempore in illo systemate effectas ostendunt. „Les ganglions“, inquit „nerveux sont remarquables, tantôt par leur extrême mollesse, leur augmentation de volume, et leur couleur blanche, tantôt par leur dureté squirrheuse et même calcaire; les nerfs qui en partent, ont un volume considerable;

---

\*) I. P. Frank. Epitome de curandis hominum morbis cet.

\*\*\*) Fried. Hoffmanni opera omnia physico medica cet. T. III. p. 446.

\*\*\*) Patrix traité sur le cancer de la matrice. à Paris 1820.

cela est partout constant dans les filets du ganglion semilunaire. — La masse cerebrale presente aussi des variétés d'alterations; je l'ai trouvé quelque fois dans un tel état de mollesse, qu'elle abaissoit à la pesenteur, comme si elle eût été formée par une matiere liquide, contenue dans les meninges; dans une autre circonstance elle étoit presque dure: je l'ai vu enfin presenter la consistance naturelle, les meninges étoient seules tres infiltrées; ordinairement le systeme veineux est tres injecté. La moëlle epiniere, baignée dans une petite quantité de liquide serieux, ne peut être touché sans déchirure.“ P. Camperus \*) cuius testimonium Patrix quoque affert, et ipse causam carcinomatis in systemate nervorum ponit. „In carcinomatibus“ inquit „constanter glandulas eas potissimum affici eodem veneno videmus, quae ab iisdem truncis nervos acquirunt. Dum mamma scirrho vel cancro in altum elevatur, axillares intoxicantur, si labium inferius, sub maxillares ac parotides inficiuntur. Nervorum semper, vasorum sanguiferorum tramitem tetrum id virus nunquam sequitur.“ — Zenckerus \*\*) porro nervos affecta organa esse aperte declarat, etenim dixit: causam proximiorum latere in nervorum passione locali, et causas remotas passionem illam topicam inducere

---

\*) Demonstrationes anatom. pathologicae. Lib. I.

\*\*) Dissertatio de scirrho et cancro. Halle 1786.

valere. — Guil. Leursius \*) morbi essentiam ponit in abnormi genitalium actione, maiore minoreve excretione, irregulari secretione et imperfecta aut morbosa materiae genitalis in succos resorptione; sed systema nervorum organum dirigens esse putat. Loco laudato, §. 176 dixit: „Wird daher eine besondere Ausartung dieses Zeugungssaftes dem Gehirn oder auch gewissen Nerven mitgetheilt, so scheint dies die erste Ursache eines Krebses zu werden,“ et paulo ante: „Von allen andern Giftarten seiner Natur nach verschieden, wird es (das Krebsgift) einzig und allein durch einen dazu geschickten Nerven nach einer bestimmten Drüse geführt.“ — Schäfferus \*\*) dicit: Es ist wahrscheinlich, daß die wahre Ursache des Krebses im innern Wesen der Nerven liege, und von innen entspringe, ein Abstehen gewisser Nervenarten sei.“ Haec sententia exemplo quodam, quo vehementissimus dolor faciei, qui unum tantum eius latus corripuerat, in viro quodam, cuius uxor paucis annis ante carcinomate uteri mortua erat, prodromus carcinomatis factus est, quod oculum ex orbita trusit, ac

\*) Sammlung auserlesener Abhandlungen. Bnd, 18 St. 2 und 3.

\*\*) Versuche aus der theoretischer Heilkunde. Thl. II p. 203.

totam genam delevit, probari videtur \*). Behrensii \*\*) Scirrhum oriri contendit egressa lympha et materiis coagulabilibus, quae, perfecta resorptione deficiente, coagulentur, quodammodo formentur, ac parti novam tribuant structuram. Ille scirrhum, substantiam tuberculosam, fungum medullarem, autoribus Laennecio, Soemmeringio, Reidio, Beclardio aliisque laudatis, ponit in perversis formationibus, quae rarissime tantum ex inflammatione exoriantur, sed parum notis aberrationibus organici nisus formativi efficiuntur. — Richteris \*\*\*) contra eius perversae formationis, (pseudo inogenesis) quae in substantia fibrosa appareat, ad quam secundum cum steatoma et cancer durus \*\*\*\*) (cancer verus, scirrhus malignus R.) pertinent, et omnium omnino perversarum formationum

\*) C. W. Huflands Journal der practischen Heilkunde.

\*\*) Vorlesungen über praktische Arzneikunde. Tom. III.

\*\*\*) Encyclopaedisches Wörterbuch der medicinischen Wissenschaften. Berl. 1828 p. 580.

\*\*\*\*) Ea carcinomatis forma, quam E de Sieboldius weicher Krebs, Blutkrebs. appellat, ex sententia Behrensii (l. c. p. 388) exitus fungi medullaris est, qui non minus saepe, quam scirrhus verus, in utero observatur.

causam proximam, arctam et lentam inflammationem esse contendit.

Magis etiam probatur sententia, indurationem scirrhosam vitium esse universale experientia, raro uterum solum induratione corripi, sed plerumque, aut eodem tempore aut postea, ea organa quoque, quae cum eo coniuncta, aut in eius vicinia aut in consensu cum eo sunt. — Oberteufferus \*) vidit ulcera cancrrosa in ambabus mammis simul cum carcinomate uteri in femina quadam; in duobus aliis ambae mammae simul carcinomate correptae erant; et semel carcinoma mammae et labii simul in una eademque femina observavit. — Schuciderus \*\*) invenit indurationem uteri coniunctam cum monstrosa ovariorum degeneratione. — Wenzelius \*\*\*) praeter organa supra dicta etiam ovaria iis partibus adnumerat, quae plerumque in induratione uteri, tum etiam, cum in portione vaginali tantum exstat, correpta et saepe maxime degenerata inveniuntur. — Jecur saepe uteri vitii particeps esse videtur: de Sieboldius \*\*\*\*)

\*) I. Ch. Stark's Neues Archiv für die Geburtshülfe  
cet. 11 B. 4 St. p. 675.

\*\*\*) P. I. Schneider Medicinisch-praktische Adversarien  
cet. 1 Lieferung Cap. 15.

\*\*\*\*) Wenzel über die Krankheiten des Uterus. p. 95.

\*\*\*\*) Journal für die Geburtshülfe IV.

id partim hydatosum partim scirrhosum et Patrix \*) saepe pallidum et obstructum reperit.

Remotiores uteri indurationis causae partim tales sunt, quae in propria ratione corporis feminini sitae sunt, status physiologici, qui saepe, si, dispositione corporis existente, in aliqua ratione perversos se ostendunt, hunc morbum gignunt; partim naturae repugnantes, quae ubique vires nocivae efficietes, primum impulsum dant ad indurationem, irritationem et congestionem, easque sequentem effluxum et stagnationem lymphae coagulabilis. In prioribus ponendae sunt menstruatio, fluxus locchiorum, atque excretio materiae genitalis feminae.

Quidquid ad suppressendos menses \*\*) et fluxum locchiorum confert, aliis rebus faventibus, indurationem scirrhosam gignere potest, etenim materiae, quae tempore menstruationis ac locchiorum ad uterum progrediuntur atque excernendae sunt, facile, si earum excretio aliqua causa, refrigerio, terrore cet. impeditur, in tela uteri hoc tempore laxata, stagnari et hoc modo prima indurationis causa fieri possunt. Retentionem materiae genitalis quoque causam indura-

\*) l. c.

\*\*) Fried. Hoffmanni opera omnia physico medica. T.  
III. p. 446.

tionis fieri posse, cum sanguinis, ad hanc materiam secernendam, si qua frequenti coitui adueta sit, ad genitalia profluentis pars tantum, si ille subito diutius vitetur, ad rem modo dictam adhibeatur, exemplum memorabile a Jördensio \*) narratum demonstrat. Mulier quaedam, per multos annos frequenti coitui adueta, subito aliquamdiu a marito separata est. Excretio materiae genitilis, iam habitualis facta, sed repente impedita, effecit, ut sanguis ad hanc materiam secernendam ad genitalia profluens, initio mucosum excoeriantem, interdum sanguino lentum effluxum, postea autem sine ulla causa, haemorrhagiam, quam maxime defatigantem, gigneret. Accesserunt alia symptomata, sensus dolorosus et gravitas in sinu cet. ex quibus uterum scirrhum esse suspicari licuit. Haec symptoma nulli remediorum adhibitorum cessarunt; sed post reditum mariti omnia evanuerunt atque mulier optima semper usa est valetudine.

Ex causis remotioribus, naturae repugnantibus, praecipue nonnullae excretionis morbosae commemorandae sunt. Leucorrhoea, et benigna et maligna, causa indurationis fieri potest, si aut remediis stypti-

---

\*) Jördens über Scirrhus und Carcinom der weibl. Geschlechtstheile, Hufsl. Journ. B. 9. 1 St. pag. 149.

cis inconsulto adhibitis, subito supprimitur, aut multos saepe annos perdurans, vim vitalem organorum affectorum exhaurit. Eodem modo haemorrhagiae, si remediis vehementer adstringentibus subito supprimitur, indurationem efficere possunt. Idcirco Sieboldius, Joerdensius, aliique suadent, ut alumen draconisatum, omnino alumen et crocus Martis adstringens caute adhibeatur. — Si porro experientia docet \*) mulieres interdum menstruis excoeriantibus laborare, quibus adeo saucientur; ut incedere nequeant, facile intelligitur, quomodo hic effluxus suppressus, irritatione et congestionibus scirrhum indurationem gignere possit. — Ad causas indurationis occasionales porro pertinent nonnullae affectiones animi, ut zelotypia, sollicitudo diu edax, moestitia sempiterna, indignatio diuturna cet., cum partim menstruationem turbare, partim succorum acritudinem indurationi faventem, gignere possint. Huc accedunt plures dyscrasiae, scrophulosa, rheumatica, arthritica, syphilitica, quibuscum, ut experientia docet, saepe degenerationes, praecipue indurationes glandularum et genitalium coniunctae inveniuntur. — Porro causis occasionalibus adnumerandae sunt:

---

\*) C. W. Hufslands Journal der practischen Heilkunde. B. 9. St. 1 p. 151.

abusus ciborum et potuum spirituosorum et calefacientium; inflammationes imperfecte dissolutae in febris puerperalibus; abusus laxantium ac pellentium calefacientium; neglectum officium infanti mammis praebendi, si satis lactis adest cum abusu coitus\*); violenta secundinarum divulsio; onania; abortus plures\*\*); vita sedentaria\*\*\*) dislocationes uteri; congestiones haemorrhoidales\*\*\*\*). Tandem variae mechanicae vires nocivae, quibus uterus in partibus annorum laborat, causae occasionales indurationis sunt. Illic pertinent, amplificatio orificii instrumentis perfecta; partus orificio non satis dilatato, incaute forcipis usu absoluti cet. Pessaria quoque non raro indurationis causam praebent.

### P r o g n o s i s.

E symptomatum historia intelligitur, quod quidem cum testimoniis eorum, qui diligenter huc morbum observarunt, consentit, prognosin morbi in universum maxime esse infaustam; quin etiam repe-

riuntur medici, qui negent morbum sanari posse, nisi si induratio aut modo oriatur, aut, cum latius iam propagata sit, diutiusque perduraverit, syphilitica sit. — Temporis spatium, quod morbi primum stadium descripsimus, et fortasse, siquidem corporis constitutio minus perturbata et induratio limitata est, eiusque causae facile investigari tollique possunt, etiam secundam stadium aliquid spei relinquunt, fore, ut medearis malo. Sin vero in ulcus apertum est mutatum, haud scio, an, nisi per operationem, cuius quidem exitus dubius erit, donec morbus saltem non pro certo localium malorum numero adscribi possit, quaeque ipsa ibi tantum adhiberi potest, ubi induratio aut vaginalem duntaxat uteri partem affecerit, aut omnino hinc organo solo contineatur — parum aegrotanti sperare liceat, eoque minus, quo vehementiores haemorrhagiae, quo puridior et sordidior ichor effluens, quo graviora omnia symptomata appareant. Sed etiam scirrhus solus, si magnus est, neque tamen in carcinoma transit, vasis nervisque premendis et functionibus partium vicinarum turbandis, hydropem plithisique, neque raro iis, haud ita multo post vel mortem potest afferre. Parvus contra scirrhus, si observatur regimen caute, victui levitas et modus, animi tranquillitas, ac temperantia in explendo coeundi appetitu, et si praeterea corpus firma

\*) Carus Gynaecologiae cet.

\*\*\*) Beyerle über den Krebs des Uterus. P. 15.

\*\*\*\*) Hoffmanni opus citat. T. III. p. 447.

\*\*\*\*) v. Siebold Handbuch zur Erkenntnis cet. p. 654.

gaudet constitutione, multos annos haud mutatus et sine magnis molestiis durare potest\*).

### T r a c t a t i o.

Ubi mali modus is est, qui non omnem medendi spem praecidat, auxilium a medico ferendum has continet indicationes: remotae causae tollendae sunt; quod si fieri non potest, talia remedia adhibenda sunt, quibus artis medicae periti vim indurationes scirrhasae dissolvendi inesse dicunt; bonae universi corporis valetudini consulendum est; symptomata urgentia tollenda sunt.

Quod ad rationem, qua primae indicationi satisfaciat medicus, attinet, haec in primis animadvertenda sunt. Menses suppressos, fluorem album, locchia restitui oportet, neque exanthemata, quorum locum etiam, si revocari non possint, vicariis secretionibus, ulceribus arte factis, cortice Mezereo imposito, aliisque similibus suppleri licet. Uterus delocatus in situm naturalem restituatur; symptomata haemorrhoi-

\*) C. W. Huflands Journal der practischen Heilkunde. B. 9. St. 1 p. 155.

\*\*) Wenzel über die Induration und das Geschwür in indurirten Theilen.

dalia remediis aptis tractentur; certa diaeta et vivendi modus constituatur, quo praesertim temperantia coitus pertinet; ac noxios, de quibus supra dixi, animi motus in melius mutare enixe studeatur. — Magni momenti etiam est respectus status mensium, priusquam morbus apparuit. Saepe enim accidit, ut aegrotae antea laboraverint menstruorum acritudine; cuius in utero relictæ naturæ arthritica, scrophulosa, syphilitica, et quacunque alia, inventa, persaepe via designitur, qua malum opprimatur facillime. Denique plurimum ad hanc rem valet remotio rerum noxiarum earumque mechanicarum et irritationem localem iuvantium, palporum, urgentium persariorum.

Remediorum indurationem scirrharum semper probatorum praestantissima sunt: Extractum cicutæ, belladonna, pulsatilla nigricans, aconitum, aqua laurocerasi intrinsecus; infusum cicutæ et foliorum lauro cerasi extrinsecus; Calomel et merc. solubil: Hanemannii in pillulis datus cum extractis solventibus, et infrictiones unguenti mercurialis in abdomen; in quibus adhibendis corporis sensibilitas respicienda est. Prosper eventus horum remediorum in eo versari videntur, quod, ut in eiusmodi indurationibus in universum, reproductionem in vasis subtilibus \*) par-

\*) Carus Lehrbuch der Gynäkologie. Thl. 1 p. 349.

tium induratarum et chronicum inflammationis statum, plerumque ibi existentem, minuunt. Similem, atque haec remedia modo dicta, vim exercent purgamenta levia eademque necessaria propter obstructions in hoc morbo saepe redeuntes, quibus praeter alia incommoda, chronica illa, quam commemoravi, inflammationis affectio, sustinetur. Idcirco clysteria lenia, Manna, Tamarind., tart. tartarisat. cct. praecipue laudantur, quibuscum cibos facile nutritibiles, refrigerantes, vegetabiles, et potionem ex emulsionibus, sero lactis, cct. factam, coniungi volunt plerique. Porro lavationes tepidae, ne cutis exhalatio impediatur et universalis sanguinis circulatio adiuvetur, et hirudines perinaeo vel fonticuli femoribus impositi, ut sanguinis congestio a parte morbo affecta derivetur, a Lasarrio \*) et Bodeloquio \*\*) etiam atque etiam commendantur.

Ut tertiam indicationem, valetudinem in universum servandam, exsequamur, praeter dietam modo dictam; etiam motus modicus, animi relaxatio et hilaritas, commoratio in aëre puro et salubri, ac prae-

\*) Graefe's und Walters' Journal für Chirurgie und Augenheilkunde. B. 4. H. 2.

\*\*) L. F. v. Fronsep Notizen aus dem Gebiet der Natur und Heilkunde. B. 9. No. 10.

sertim in dyscrasia scropholosa Mercurialia, belladonna, cicuta cum extractis amaribus saponaciis sunt adhibenda. Remedia magis roborantia, velut vinum, corticem Peruvianum, ferrum, cct.: Carus augendā locali inflammationis affectione plus nocere, quam viribus reficiendis prodesse dicit.

In numerum symptomatum aegrotis molestissimorum imprimis referenda sunt: dolor vehemens, insomnia hac re effecta et corporis debilitatio; vomitus interdum vehemens; frequentes haemorrhagiae et ichor effluens idemque male olens et exorians. Dolores, si nervorum irritatione excitati sunt, leniuntur remediis narcoticis, iisque, quibus opiam inest, et intrinsecus et in regione pubis infundendo adhibitis, clysteriis cum opio, et quae sunt generis eiusdem; sin ex aucta partis induratae inflammatione nati sunt, haut scio an tractatione antiphlogistica opus sit. Jördensius hanc ob rem magnam corticis Peruviani decocti portionem cum extracto hyoscyami vel laudano liquido Sydenh., postea vero, ubi succi ichore resorpto et febris soluti sint, cum acido sulphurico et potionem hordei aqua perfusi siccati ac tosti bibi vult. Attamen hoc remedium saepius cum magnesia et aliis remediis resorbentibus mutandum esse dicit, cum plures molestiae acido in ventriculo congesto efficiantur. — Contra vomitum tamquam malum nervorum Sieboldius belladonnā commendat; saepe etiam hoc

symptoma curâ de avacuationibus regularibus adhibita vitatur. — Ut ad haemorrhagias recurram, vel praecaveri possunt vitandis et cibis et potionibus calefacientibus, quiete, ubi universalis erethismus vel congestiones reperiuntur, potionibus refrigerantibus, acidis mineralibus dilutis, et his similibus; vel iam exstantes coërcentur remediis adstringentibus, obturamentis, aut in decoctum salicis vel quercus mersis, aut pulvere styptico conspersis vaginae inferendis. — Verum enimvero animadvertendum est, ne haemorrhagiae, induratione adhuc valente apparentes, nimis cito opprimantur, cum hac re inflammatio, partem induratum afficiens, facile augeatur. — Contra molestias ichore effluente effectus, Jördensius l. c. aquam calcariam cum cortice Peruviana (quod hic summum appellat remedium) hyoscyamo vel papaverum capitibus iniciendam, simulque partes externas lacte tepido et decoctis mucosis saepe purgandas et particulam spongiae pudendorum labiis inferendam commendat.

Indurationem scirrhosam iam primo stadio saepe omnibus remediis repugnare et sine ulla mora haud raro admodum brevi tempore in ulcus apertum exire, iam supra in prognosi memoravimus. Nihilominus incidunt casus, ubi medici variorum remedium ipso ultimo morbi stadio secundum experti sint exitum. —

Westringius \*) laudat extract. calendulae officinalis et aurum oxydatum, non solum ad symptomata lenienda, verum etiam tanquam iusta medicamenta. — Huflandius \*\*) eodem remedio usus, doloris vim minorem, effluxus naturam meliorem reddidit. — Ferrum carbonicum a Carmichaelio prospero successu adhibitum, inter alios Voelkerus \*\*\*) defendit. — Wenzelius \*\*\*\*) ad dolorem uteri et graviores laterum punctiones Fowlerianam arsenici solutionem adhibet et quam magnum lenimen appellat. — Hennemannius †) et Klaprothius ††) iodinum, nuper ad cancrum uteri commendatum etiam ad hunc morbum tollendum utilem invenerunt, et Buschius †††) huius medicamenti vim confirmat, narrans casum scirrhii uteri, quem

---

\*) Westrings Erfahrungen über die Heilung des Krebsgeschw. aus dem Schwedischen mit Zusätzen von Sprengel. Halle 1817.

\*\*) C. W. Hufland's Journal der praktischen Heilkunde. B. 1. H. 4.

\*\*\*) I. N. Rust's Magazin der gesammten Heilkunde etc. B. 1. H. 2.

\*\*\*\*) Wenzel über die Krankheit des Uterus S. 187.

†) C. W. Hufland's Journal Febr. 1823.

††) Ibidem Dec. 1823.

†††) I. N. Rust's kritisches Repertorium. B. 5. Hft. 1. Berl. 1824.

hoc modo intra tres hebdomades sanaverit. — Frankius \*) suadet, ut cito salivatio, mercurio et intus et extrinsecus adhibito commoveatur; sed etiam belladonna interno remedio usus est. — Burnsius \*\*) primo morbi initio fonticulos brachio vel femori impositos, aquas minerales laxantes, victum parcum, ac pannum laneum tenuiorem vestimentum adhiberi vult; ubi vero explorando aliqua mutatio in utero animadvertens sit, praescribit, ut kali sulphuric. cum sulphure, et si haec remedia iam non laxent, alia laxantia sumantur.

Quod ad remedia cancro extrinsecus admovenda attinet, huc intra cetera referenda sunt. Sedum acre a Lombardio \*\*\*) et Rustio \*\*\*\*) laudatum, de cuius vi salutari ille tres casus affert; tum semibalnea ex percoctis daucis caroticis facta, a multisque iam adhibita, quorum utilitas in molliendo et emendando odore ichoris effluentis maxime cernitur; et denique kali caustic., quo secundum Dupytreni methodum Wutze-

---

\*) Journal der Chirurgie v. Gräfe und Walther. B. 3.

\*\*) l. c. p. 170.

\*\*\*) I. Ch. Loders Journal für Chirurgie, Geburtshülfe und gerichtliche Arzneikunde. Jena 1801—1804.

\*\*\*\*) I. N. Rust's Magazin der gesammten Heilkunde etc. B. 1. H. 2.

rus\*) prospero eventu in quadam uteri induratione usus est.

Postremum Osianderus operationem et commendavit et perfecit.

Jam nunc mihi liceat brevi huic adumbrationi casum adiungere, quem ipse observavi.

K., triginta annos nata, duobus ante annis ultimum ediderat partum. Recepta in nosocomium nostrum, querebatur de inferiorum extremitatum imbecillitate et doloribus in regione sacra et lumbali, capitis dolore, vertigine et quodam in pelvi sensu, ac si uterus deprimeretur. Quae moléstiae, una cum urina impedita, anno ante post refrigerium, aliquando ab aegrotata sensae, evanuerant paulatim, sed nunc rursus iam ex aliquot mensibus vehementiores permanebant. Interea vero menses certo semper tempore apparebant, et post nonnullos dies ab ipsa expectabantur. Haec symptomata suspicionem laborantis uteri vel aliorum organorum vicinorum moverunt, et d. XVI. April. exploratio facta est. Neque extrinsecus quidquam morborum detectum est, neque in glandulis vel inguinalibus vel pectoralibus aliqua induratio et omnino abnorme quidquam inventum. Intus

---

\*) I. N. Rust's Magazin der gesammten Heilkunde. B. 8. H. 1.

vagina mollis et mucosa fuit, orificium uteri autem et portio vaginalis admodum dura, attamen levis et aequa, et, vel fortius pressa, penitus dolore carebat; uterus fuit mobilis et in altum premi potuit. Exploratione finita digitum mucosum subrubro obductum inveni.

Mensium instantium causa morbum minore cum vi tractari oportebat, et aegra ter quotidie pilulam ex uno extracti cicutae grano accipiebat: simul oleum calidum abdomini infricabatur et fomentationes per vapores calidos addebantur. Progredientibus ad certam legem mensuris, tempore pomeridiano semper dolores capitis accedebant, qui, propter eorum inconstantem naturam, respici non poterunt.

D. XX. April, mensibus praeterlapsis, aegrotæ de cibi cupiditate omnino deficiente querebatur. Et ad iuvandam alvi deiectionem, ex duobus diebus iam impeditam, et ad emendandum ipsius morbi statum quater quotidie dabatur pulvis ex uno grano merc. dulcis, quocumque quotidie cochlear minus repletum unguento infricando ex duabus drachm. unguent. Neapolit. et sex drachm. linimenti volatilii coniungebatur.

Jam d. XXIII. April. signa salivationis apparuerunt, quare calomel differi oportebat. Accipiebat igitur aegrotæ solam cicutam, et simplex linimentum volatile infricabatur.

D. XXV. Apr. altera facta est exploratio. Partes genitales inveni calidas; in portione vaginali mutatio

cerni non potuit; aequè doloris experta illa fuit et mobilis atque antea; mucus in vagina plurimus secernebatur, isque nunc albus. Nihilominus morbum levorem putavi, quod aegra nocte tantummodo dolores in regione sacrali et extremitatibus inferioribus sentiebat, interdum vero ab his symptomatibus plane liberata erat, cum antea perpetuo tempore cum dolore hebetate in extremitatibus inferioribus pressa fuisset.

D. XXVIII. Apr. valetudo aegrotæ non optima esse videbatur; quamquam in eundo solum doloribus afficiebatur, tamen maxime laborabat debilitate; praecipue obstructionibus rursus angebatur. Interim salivatio vehemens inceperat, et os valde sensibile erat. Praescribebatur ut solutionis ex una uncia natr. sulphur. cochlear maius singulis horis sumeret; praeterea natron boracicum cum melle rosarum ad os intus peniculi ope madefaciendum.

Sequenti die eius valetudo, cum alvus bis exonerata esset, in melius mutata est. Cicuta cum infricationibus continuabatur. Pulsationem abdominalem, a me detectam; nihil molestiae sibi afferre dixit.

D. IX. Maii Menses redierunt, et tres dies haud moleste durabant. Salivatio desierat et aegrotæ valetudo bona erat.

D. XIII. Maii aegrotam rursus explorans portionem vaginalem, verisimiliter propter menses, quae pridie desierant, depressam inveni; paries posterior

paullulum erat mutata, et adhuc aequè propemodò dura, anterior contra in textu externo mollis et tori similis; altius in parenchymate eius durities etiam nunc tactu reperièbatur. Doloris affectio aberat, ut antea omnino. Orificium ipsum, maiori cum vi pressum, dilatabatur, quo casu labia eius tactu erant durissima. Uterus mobilis fuit. Aegrota valetudine bona gaudebat, et nocte duntaxat sensibus, quos supra memoravi, molestis in regione sacrali et femoribus cruciabatur.

D. XVIII. Mii cicuta cum ferro carbonico mutata est, de quo mane et vesperi quina grana accipiebat. Hoc remedium citius et prosperius, quam prius valere videbatur; adhibito enim eo per octo dies, intra quod tempus medicamentum gradatim ad septem grana cum dimidio, quater quotidie auctum est, non solum ipsa omnibus molestiis sese liberatam esse sensit, verum etiam equidem, die XXIV. M., interna exploratione instituta, portionis vaginalis parietem anteriorem nusquam, posteriorem parvo tantummodo loco, duriusculam inveni. Octo deinde dies pulvis continuabatur. — Haud ita multo post femina mihi affirmavit, se optime valere.

---